

առեալ՝ նիզակաճօճ նիզակաբեկ խաղս առնէին զինուորականս. եւ զբովանդակ զօրն զայն մեծաւ ցնծութեամբ խրախացան. իսկ յերկրորդումն աւուր պր իւրաքանչիւր դարձաւ ՚ի տեղի իւր»⁹⁸:

Արդարեւ սո՛ւք մեծատօնք Հայկական տօմարի:

⁹⁸ «In die vero, hoc est in festo Epiphaniæ, quod Hormeni Baptisterium appellant, pervenimus Sis, ad quem Dominus Rex nos ad celebrandum suum festum invitaverat... Mane vero facto omnes ad quoddam flumen, ipsi villæ vicinum festinabant: ad quod Dominus Rex hoc ordine descendebat: alto equo insidebat; et Magistrum domus Alemannorum, et Castellatum de Seleph Hospitalarium, cum eorum sociis, viris religiosis millibus, suo lateri adjungebat: quem Dominus Ruppinus junior rex, quem, ante dixi, Otto Romanorum Imperator, ad petitionem senioris Regis nuper coronaverat, cum nobilibus terræ illius, et cum multis militibus, pulchre indutis, subsequeretur; quorum servi singula vexilla et baneras in manibus gestantes, et eorum equos phaleratos deducentes, seniores Regem præcedebant: inter quos et ipsum multi sarganti pedites, cum armis suis, ad custodiam Regis discurrebant: qui ab omnibus, hic astantibus, *Sub Tacfol*, id est, Sacer Rex, cum ingenti clamore salutabatur: et sic ipse in magna pompa ad tentorium suum, in ripa fluminis præparatum, descendebat; deinde Græci, et eorum patriarcha, pedites, et præparati cum multis sanctuariis subsequerentur, qui in tanto clamore buccinarum, et aliorum instrumentorum musicorum, incedebant, ut potius pompam, quam processionem, ducere viderentur. Isti etiam, in loco eis deputato, super flumen reliquos expectabant. Tunc tandem Hormenorum clerus, Crucem quamdam baptizandam bajulans, decenter cum suo Archiepiscopo descendebat... Isti etiam suam stationem et residentiam supra prædictum Iuvium acceperunt. Processionibus igitur in unum convenientibus, hinc inde discantari, et longas eorum barbas, quæ illorum pectora sicut quædam plenaria contegebant, multo hiatu vidimus laborare, qui Evangelia et Epistolas græce et hormenice recitantes, et illum simulatum Jordanem benedicentes, crucem, quam illuc apportabant, baptisabant, et columbam a dextra illius emiserunt. Tunc quidam in asino in medium fluminis descendens, et stans erectus zuccharato gurgite proclamabat: *Vivat Rex noster in æternum*, et rursus; *Valeat et confortetur omnis Cristianitas*. Omnibus autem ab ore illius dependentibus, et respondentibus, *Amin*, ille præcentor in aquam detrudebatur. Quod non sine multorum risu est effectum. Deinde Rex et alii, ipsa aqua aspergebantur: Suriani vero toti nudi lavabantur. His ergo rite peractis, Clerici ad monasteria, Rex vero et milites ad campos festinabant; ubi illi in phaleratis equis discurrentes, et hastas dirumpentes, egerunt ludos militares. Et sic totum illum diem in lætitia multa expenderunt; postero die omnibus ad sua remeantibus».- **Willebrand**.